



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exhortatio Ad Reditvm In Catholicam Ecclesiam, Ovicvlis Christi, Gevsiaa Tempestate Per Hollandiam Et Vicinvm Belgivm Misere Dispersis**

**Lindt, Willem van der**

**Coloniae, 1577**

**VD16 L 1932**

2. Diabolus Catholicam Christi ecclesiam oppugnando, eam vnicam esse demonstrat veram Dei domum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31553**

## Caput primum.

*De usu hæreseon, quod suo malo præclarum bonum operentur, scilicet quod pios reddant sua tentatione illustriores.*



Portet hæreses esse, ait Dei Spiritus ore S. Pauli, vt qui probati sunt inter vos, fiant manifesti. Orta enim opinionum de fide, quasi ventorum tempestate, in Dei domo, tum demum liquet, quinam certo sint probi, qui improbi, qui leues, qui constantes, qui denique palea, qui electum illud triticum in coelestia horrea deportandum. Ita enim clementissimus Dominus omnia in electorum suorum filiorum salutem operatur, vt talis nouorum dogmatum tempestas, quæ totum Christi ouile non solum conturbare, sed etiam dispergere videtur, in manifestam tamen cedat suorum electorum vtilitatem, in virtutum auctarium, in certiores salutem, & maiorem gloriam, denique in illustriorem etiam æternæ vitæ coronam. Vident enim omnes tam pij, quam impij, sæuientem illam nouarum, immo impiarum doctrinarum tempestatem paulatim ad Dei nutum, vt olim dormiente in Petri nauicula Domino, efferi, frementis atq; horribiliter intumescens maris fluctus, conticescentem ac deficientem, vanam fuisse diaboli operam, qua illam Christi Domini in rupe Apostolicæ confessionis fundatam inuidus conabatur affligere, perturbare, vexare, euertere.

## Caput. II.

*Diabolus Catholicam Christi Ecclesiam oppugnando, eam vnicam esse demonstrat veram Dei domum.*

**Q**Va ex re omnibus perspicuum fit, vnam tantum esse Catholicam Christi ecclesiam, quam omissis variarum sectarum



rum conuenticulis, diabolus tanta humanæ salutis inuidia rabidus, oppugnando studet perturbare, ac fidei vnitatem in varias nouorum dogmatum sectas discernere, ac veluti dilaniare. Manet tamen Christi veritas ita inuicta & indiuulsa, vt omnes tam probi quam improbi vno ore agnoscant, vnam esse catholicam Christi Ecclesiam, extra quam non magis speranda omnibus est salus, quam olim diluuij tempore extra illam arcam Noe. Hoc igitur principio apud omnium Christianorum animos etiamnum saluo, videndum, an aliqua nobis à Christo sint notæ datæ, quibus suam domum à diaboli Synagoga certò secernat: ne quis putet diutius Christum hic esse in deserto, per Anabaptistas celebrato, aut illic in penetralibus VVittenbergæ Luthericæ, aut Geneuæ Calvinicæ, aut Embdæ Menonica, aut Kunigspergæ Osiandrinæ.

## Caput III.

*De veris Ecclesia Christi notis, quod vna, quod sancta, quod Catholica, quod Apostolica.*



Christus Dominus sua functus legatione ad Patrem rediturus, Apostolos suos vt per triennium ante mortem, ita diebus 40. post gloriosam suam resurrectionem, & misso veritatis omnis magistro Spiritu Sancto, de omnibus ita instruxit, vt nihil eorum, quæ ad Religionem Christianam fundandam sunt necessaria, eis defuerit. Quia igitur vnam vniuersi erant toto orbe fundaturi Ecclesiam, in Christi nomine vndiq; concorditer congregandam, vnum sibi confecerunt Symbolum, & certam veluti suæ militiæ tesseram: quam oporteret omnes in Christi ouicularum numerum recipiendos & tenere & profiteri. In ea autem fidei Christianæ formula ore vno legunt omnes, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Quod fidei Christianæ capitulum si rectè expendamus,